

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

ob causam, quia servator noster eo ipso à mortuis resurrexit, unde etiam *intra* *nu-*
grixa appellatur, Act.1. v.10. hoc ideo ter-
tium quoq; præceptum sublatum, & sancti-
ficationem sabbathi desisse.

Hoc esset libertatem Christianam quasi
velamen malitia habere, 1. Petr. 2. Quam-
vis enim Ceremoniale illud Christus abro-
gaverit, ut non præcisè diei septimo velut
Judæi ad strictissimum, & opera necessitatis
exantlare possimus, quæ & hic Christus
concedit: Attamen hoc Morale manet,
quod sabbatum sanctificare, cultui divino
vacare, & omnia horum impedimenta è
medio tollere debeamus. Qui hoc non fa-
cit, adversus tertium præceptum peccat, &
justissimam Dei penam incurrit, de quâ
Deus: Si non audieritis me, ut sanctificetis
diem sabbathi, succendam ignem in portis,
Jer.17. v. ult. Quis hic ignis? Ignis belli, qui
ad perditionem devorat, Job, 3. v. 12. Id
Judæi experti sunt, quos ideo Deus in capti-
vitatem Babyloniam abduci voluit, quia
sabbatum prophanarunt. Quia enim tem-
pore pacis feriari solebant, & dicebant:
Quando transibit mensis, & venundabi-
mus frumenta? Amos. 8. v. 5. Deus Regem
Babylonis ipsis immittebat, qui ipsis in ca-
ptivitatem abducebat, donec celebraret
terra sabbatha sua, 2. Paral. 26. v. 21. Tan-
dem succedit ignis infernalnis, Apoc. 14. 11.

Nos proinde sabbatum, ut decet sanctifi-
cabisimus, sic felicitas sequetur nos. Custo-
dite sabbatha mea, inquit Dominus, & pa-
rete ad sanctuarium meum, Levit. 26. v. 4.
Esa. 56. v. 4. Imò tandem eò nos transfe-
ret, ubi nulla inquietudo, hydrops & mors
nulla erit, sed sabbatum ex sabbatho,

Esa. 66. v. 23.

De Secundo.

Digrediemur nunc ad alteram partem,
χριστονοστιανη sive notitiam Domini
nostrí Iesu Christi, meditaturi. Hic nobis
commendatur:

I. *Tanquam honestorum conviviorum*
approbaror. Introit enim in domum cuius-
dam Principis Pharisæorum, manducare pâ-
nem.

Quodsi igitur peccatum & contra Dei
legem foret convivia apparare, aut ea accer-
dere, Christus iis non interfuerit, qui Sanctus
Sanctorum est, Dan. 9. v. 24.

Verum non tantum ante incarnationem
suam Abrahæ conviva fuit, in forma An-
geli, Gen. 18. v. 8. sed in diebus quoque car-
nis suæ invitatus, præsentiam suam non
subtraxit. Sic haud invitus adfuit Matthæo,
Matth. 9. v. 10. Zachæo, Luc. 19. v. 6. Lazaro
& sororibus ejus, Luc. 10. v. 19. & impris-
mis in nuptiis Cananeis, Joh. 2. v. 2.

Hinc appetat, cum verum & naturalem
hominem esse, qui nobis, fratribus suis, per o-
mnia assimilatus fuerit, excepto peccato,
Hebr. 2. v. 17. Ideoque conversationem
humanam non abhorrit, sed gavisus est cum
gaudentibus, Rom. 12. v. 15. Sicut & expresse
ait: Deliciæ meæ cum filiis hominum, Prov.
8. v. 31.

Hanc φιλανθρωπίαν ejus, & nos imitè-
mur. Homo est animal sociale, ait Aristoteles,
ideoque sui similem appetit, & ab ho-
nestis invitatus, apparet, & in timore Dei
est illi gloriatio, Sir. 19. 23. Tempus enim est
flendi, & tempus ridendi, Ecclesi. 3. v. 4.

Arsenius fuerat Imperatoris Theodosii
Præceptor, tandem à consortio hominum
recessit, factus Anachoreta. Comperiensid
Theophilus Episcopus Alexandriæ, assum-

Dominica XVII. post Trinitatis.

to amico, persuadere ei volebat, ut se rursum in civitatem reciperet. Sed eminus ipsi visis ille clamabat: Præcipio vobis, ut ubique me morari audieritis, illuc non accedatis. Quinimò cum Marcus Abbas quidam illum fortitudine offendideret, & interrogaret, cur penitus hominum commercium fugeret? Respondit: Cum Deo & hominibus simul esse non possum. Et sic in proposito suo perseveravit.

Id Christus non fecit, sed potius amicè & humaniter cum hominibus conversatus est. Hinc ait: Nunquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Matt. 9. v. 15.

Veteres dixerunt: Homo solitarius, aut Deus, aut Angelus, aut bestia, aut Diabolus est. Propterea minus probamus, si quis planè segregem agat. Vx soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem sc, Eccles. 4. v. 10.

II. Tanguam cultus Sabbathici restaurator. Pharisæi opinabantur, sabbathum sanctificari, si operibus abstinerent, & otio indulgerent. Hinc illud crapulâ & ebrietate variisq; deliciis proplianarunt, ut Gentiles hinc offendiculum capientes, putarent, Sabbathum derivari à Sabbo, h.e. Baccho, quia videbant, Judæos plus idolo huic quam Deo viventi sabbatho servire. Hinc Augustinus scribit: Si mulieres Judaice nihil aliad sabbatho agere vellet, quam choreas agere, & voluptatibus indulgere, rectius facerent, si fila ducerent, hoc enim inter haec duo mala minimū esse.

Maxima pars Christianorum in eadem ferè persuasione est, sabbathum sanctificari, si eleganti ueste nos ornemus, delicate & opipare vivamus, deambulatum eamus, & jocos agamus. Imò, quod deploran-

dum est, omnis generis flagitiis sanctissimus dies prophanatur, quæ diebus profestis perpetrari non possunt, ut non immetitò detestationem suam contestatur, Deus ingeminet: Abominor festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum, Amos. 5. v. 21.

Sed in prælecto Evangelio ostendit nobis exemplo suo Servator, quomodo sabbathum dextrè sanctificare debeamus, nempe per opera pietatis & charitatis. Habet enim egregium sermonem convalem, & docet Pharisæos non modò, in quo vera sabbathi sanctificatio consistat: sed & quomodo ambitionem fugere, & humilitati studere debeat. Haec moralia decebant festivitatē sabbathi. Sic & nos sabbathum meditatione verbi divini peragere, & domesticos nostros in verbo Dei informare debemus, ad exemplum Abrahami, Gen. 18. v. 19. David, Ps. 34. 12. Col. 3. 16.

Deinde Christus quoq; fanatici hydropicū, eoq; indicat, quod opera caritatis sabbatho exercere, & sanctorum necessitatibus communicare debeamus, Rom. 12. 13.

Id fit, quando infirmos, orphanos & viudas visitamus in tribulatione eorum, Jac. 1. v. ult. & manum indigentibus aperimus, & pro virili ad cultum Dei conferimus. Id è Deus jussit, ne Judæi vacui coram se apparerent, Deut. 16. v. ult. sed afferrent munuscula sua, quibus cultus Dei promoveretur, & pauperes sustentarentur. Sic nobis quoq; dictum esto. Frange esurienti panem, Esa. 58. v. 7. 8.

Tertio quoque concedit Dominus Opera necessitatis, quando exemplum adfert, de bove & asino in puteum cadentibus, die sabbathi, & dicit licitum esse, ut extrahantur eodem die.

Sic

Sic parturientibus subvenire, incendium
restinguere, impetum hostium reprimere,
& ejusmodi necessitatis opera die sabbathi
peragere concessum est. Necesitas enim
sine lege! quin ex ipso templo abire & ab
altari recedere possumus. & necessitati sub-
venire. Vide 1.Macc.2.v.32. seqq. 1.Macc.
9.v.43.

III. Tanquam civilitatis commendator.
Phariseos enim primos accusitus eligentes
in civilitatem morum ablegat, iisq; hanc re-
gulan convivalem praescribit, quæ non
modò ipsis, sed & nobis hodie adhuc ob-
servanda est: Cum invitatus fueris ad nu-
ptias, non discumbas in primo loco, &c.

Hæc *instructione per necessaria* est, ideoque
nobis instructioni esse debet. Neque enim
facimus cum *Anabaptistis*, qui *omnes hono-*
ris gradus improbant. & nullum omnium
Christianorum discrimen admittunt, rati,
fidem personarum acceptancem non habe-
re, Jac.2.v.1. quod quidem in regno Chri-
sti locum habet, quantum ad spiritualia bona
attinet: Hic sanè non est servus, neq; li-
ber, non masculus, neq; fœmina. Omnes
enim unum sunt in Christo Jesu, Gal. 3.
v.28. Unus Dominus, una fides, unum
baptisma. Unus Deus & pater omnium,
Eph. 4.v.5.

Sed *in vita & conversatione externa*,
nonnulli sunt *τιμήσοι* honoratiores, ut
Christus h̄c ait, ideoq; æquum est, ut præ-
rogativam habeant, & ratione officii, æta-
tis & artis præ aliis emineant, & honore af-
ficiantur, juxta illud: cui honorem, hono-
rem, Rom.13.v.7.

Deus noster non est Deus confusionis,
sed pacis, 1.Cor.14.v.33. ideoq; *chaos illud*
informe, in quo omnia clementa confusè
permixta erant, in ordinem rededit, & in-

tra sex dies hunc *κόσμον κόσμον* ex eo-
dem produxit. Hinc David: Quam magni-
ficata sunt opera tua Domine, Ps.103,24.

Intuemini *cælum*: Nonne Deus lumina
quæ in eo apparent, unum præ alio exalta-
vit? Sol quasi Rex in medio Planetarum
versatur: Luna quasi Regina est, quæ à reli-
quis stellis justo ordine, velut à famulis suis
deducitur. Hinc Paulus: Alia claritas est
Solis, alia claritas lunæ, 1.Cor.15,40.

Considerate *ordinem*, qui est inter sanctos
Angelos, quorum quidam sunt Archangeli,
quidam throni sive dominationes, quidam
principatus, sive potestates, Col.1.v.16. In-
spicite ipsum corpus vestrum, quam mira-
bile factum sit, Psal.139,14. Caput prin-
cipem locum obtinet, pedes verò inferio-
rem, nec tamen caput dicere potest pedi-
bus, non estis mihi necessarii, 1.Cor. 12.
vers. 21.

Sic ipse in *Politia Judæicâ* ordinavit se-
ptuaginta Seniores, duodecim Principes,
nec non judices, Reges, Praefatos & ejus-
modi, & supra vulgum evexit, sicut adhuc
hodiè non est potestas, nisi à Deo, Rom.
13. v.1. Ideoq; ipsa æquitas naturalis requi-
rit, ut inferiores superioribus reverentiam
exhibeant. Id quod & Apostolus mandat,
Rom.12.v.10. 1.Petr.2.v.16. Omnia enim
honestè & secundum ordinem fieri debent,
1.Cor.14.v.ult. Et *ignominie nota est*, quando
puer superbit contra senem, & homo in-
honorabilis contra virum gravem, Esâ.3,5.
Præmium virtutis honos.

Sed quilibet expectare debet, dum ipse
Deus ipsi coronam imponat. Qui enim se-
ipsum exaltat, humiliabitur, dicitur in calce
Evangelii.

Inveniuntur homines *εἰλαυτοί*, qui sei-
pos extollunt, dicentes: Nos poma nata-
mus,

Dominica XVIII. post Trinitatis.

mus, Zeph. 2, 15. Exemplo est Absolon: sed infeli ci cum successu, 2. Sam. 18, 14. Ideoq; seipsum humiliare & culibet honorem suum exhibere præstat. Deus justo tempore ipsi confidentes extolle. Si in hoc seculo id non fit, certo certius fiet in vita æter-

na, ubi nos Reges & Sacerdotes faciet. Apoc. 1. v. 6. ut cum Christo sedeamus in throno suo, Apoc. 3. v. 21. & claritatem videamus, quam Pater ejus ipfi dedit. Fiat id per Christum Jesum!

Amen.

Dominica X VIII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 22, v. 34.

EXORDIUM.

Poste aquam Deus Opt. Max. Israëlitas Ægypto eduxerat, præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columnâ nubis, & per noctem in columnâ ignis, ut lumen præberet eis, & dux esset itineris, utroque tempore, Exod. 13, 21. Hæc allegoricè interpretabimur.

Nos omnes non minus quam Israëlitæ viatores sumus in eremo hujus mundi, & facilè in devia aberrare possumus, multa enim scandala & prava exempla occurront, quibus corda innocentium seduci possunt ad iniquitatem, Rom. 16, v. 18. Quin & Diabolus valde negotiosus est. Et veluti alias noctu quandoq; ignis erraticus visitur, qui viatores à rectâ semitâ seducit, ut sœpè in vita discriben adducantur: sic & ignes erratici in spirituali hujus mundi peregrinatione occurront, à Diabolo emissi, ad pios Christianos à recto tramite seducendos, & in æternum exitium præcipitandos. Ex una parte ad sunt filii hujus seculi, ipsis acclamantes: Veni nobiscum, implebitur domus nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum: marsupium unum sit omnium nostrum,

Prov. 1. v. 13. Sap. 2. v. 6. seqq. Ex altera parte accedunt Pseudo-Propheta & heretici, & illiciunt eos in montes suos, Psal. 11. v. 1. Hic dicit: Hic est Christus: Iste, illic est: Ille, est in deserto, est in penetralibus, Matth. 24. v. 26. Hoc ipso verò simpliciores confunduntur, ut quid credere aut reprobare debeat, nesciant. sicut Galatæ, Gal. 5, 10.

Propterea via ductore cum primis nobis opus est, qui deducat nos in terrâ rectâ, Ps. 143. v. 10. ne declinemus in curvas vias, Ps. 125. v. ult. sed cautè ambulemus, Eph. 5. v. 15. super semitam justitiae, Psal. 23. v. 3. quæ ducit ad vitam, Matth. 7, 14. quam nobis Christus abitu suo ad patrem complanavit, Joh. 14, 3. & verbum suum velut columnam ducentem nobis adjunxit, ut in hac mundi solitudine idem observemus, si bonum à malo separare velimus. Habemus enim firmum sermonem Propheticum, 2. Petr. 3. v. 19.

Ideam habemus in prælecto Evangelio, ubi Scribæ quæstionem solvit, quam de legie proposuerat, & deinde de Messia eam informationem subjicit, ut qui quis possit co-

gno-